

bergae 1793 (1): in hoc opere sectatores novae exegeseos *Rationalistas* vocat, quae appellatio veluti propria eis adhaesit. Paulo post *Paulsius* prof. Heidelbergensis novam formam rationalismo biblico dare conatus est, quam *psychologicam* appellavit, in *Comment. in N. T. Lubeck* 1804-8; *Vita Jesu* Heidelberg. 1828; *Manuale exegeticum in tria priora Evangelia* ibidem 1828, in quibus conatur omnia mysteria, omniaque miracula in N. T. narrata per subiectivam quamdam rerum apprehensionem in eventus aut doctrinas mere naturales convertere. *D. Strauss* Tubingensis in celebri opere: *Vita Jesu* Tubingae 1835, mythicum systema libris N. T. accommodans totam Evangelicam historiam in fabulam convertit. Hunc fere sequuntur *Bruno Bauer* prof. Bonnensis, et *Ern. Renan* Prof. Parisiensis in sua *Vita Jesu* Paris 1863 et deinceps saepius recusa, nec non *D. Littré*, qui pariter in Gallia opus *Straussii* gallice conversum vulgavit ed. 2. Paris 1853. His se adiunxerunt alii quamplures *mythicae interpretationis* fautores tum in Germania, tum in aliis regionibus, qui scholam uti vocant *Tubingensem* constituunt; et in Scripturis tractandis *criticam negativam* (seu destructivam) sequi gloriantur. Haec est veluti ultima expressio exegeseos rationalisticae, quae nihil in Scripturis intactum relinquit eorum ex quibus divinae Scripturae sanctitas, auctoritas ac utilitas pendet. Huiusmodi effroeni licentia permoti ac veluti expergefacti Protestantium doctores, qui orthodoxos, et conservatores se vocant remedium aliquod malo afferre conati sunt opposcentes rationalisticae exegesi saniozem aliquam methodum sive mysticam, sive grammatico-historicam, sive etiam traditionalem, et analogiae fidei symbolorum accommodatam, sive demum quam vocant pan-harmonicam. Horum coeteroquin laudabile studium quomvis efficaciter malum remove nequiverit, ob defectum scilicet tum auctoritatis, tum saniorum principiorum, quibus et ipsi magna ex parte carent, pluribus tamen scriptis occasionem dedit, in quibus Scripturarum sanctitas, ac reverentia eis debita utcumque servatur, et in quibus plura occurrunt ad sanioris hermeneuticae expositionem opportuna. Ita *Guericke* libros N. T. contra subversivas

(1) Hoc opus, et pleraque alia hic commemorata germanice scripta sunt, sed eorum titulos claritatis et brevitas causa latine tantum dedimus: ut alias plerumque facimus.

theorias Dewette vindicat: Hävernick, et Hengstenberg vaticinia et historias V. T. strenue defenderunt, Uster, et Rückert grammatico-historicae interpretationi primas partes dederunt, cui etiam utilem operam contulerunt Winer et Fritsche suis philologicis scriptis, Lücke, Tholück, Olshausen exegetica sanctorum Patrum scripta in subsidium vocarunt: quibus merito addendi sunt quidam ex anglicanis doctoribus ut Horne, Bargon aliique.

Ex hac brevi expositione manifestum fit ad quae extrema devenerint exegetae Protestantes ob reiectum Ecclesiae magisterium et analogiam catholicae fidei in Hermeneutica biblica. Interim notare iuvat discrimen quod existit inter systema interpretationis *protestanticum* proprie dictum, et *rationalisticum*. Utrumque convenit in eo quod excludunt Ecclesiae iudicium, et solam rationem iudicem constituunt in Sacrae Scripturae interpretatione. Discrepant autem in hoc quod Protestantes (orthodoxi dicti) rationem volunt esse iudicem sub respectu tantum hermeneutico, scilicet in decernendo, quinam sit Scripturae sensus: hunc autem semel inventam parati sunt recipere etiam si aliquid supernaturale contineat; siquidem Scripturae tum veracitatem, tum divinitatem admittunt. Rationalistae vero ulterius progressi rationem individualem iudicem constituunt etiam sub respectu critico, scilicet in decernendo utrum sensus Scripturae verus sit et admittendus, an falsus et corrigendus. Primi volunt per se iudicare de sola veritate hermeneutica locorum Sacrae Scripturae, secundi etiam de veritate obiectiva. Sociniani autem a rationalistis proprie non differunt, nisi forte in terminologia, seu in usu loquendi magis dogmatico, ut superius diximus. Systema vero rationalisticum ad quasdam principales formas reduci potest ut ex dictis apparet, mox autem distincte explicabimus ad clariorem et faciliorem eius refutationem.

## ARTICULUS II.

### NOVORUM SYSTEMATUM IMPRIMIS RATIONALISTARUM REFUTATIO

De Protestantium proprie dicta exegetica methodo satis esse possunt quae alibi disserimus, scilicet de methodo *Pietistica* seu *luminis interni* Calvinistarum quorundam et Quakerorum, ubi de

Scripturarum inspiratione agebamus, de communiore autem methodo *rationali*, seu privati iudicii, in tota tractatione de criteriis catholicis interpretationis. Qui vero ex Protestantibus ad rationalistica principia plus minus accedunt, ut plures nunc faciunt, isti in eorumdem principiorum examine refellentur. Itaque de rationalistica exegesi hic speciatim tractabimus.

Vidimus scopum rationalismi biblici, eiusque veluti essentiam in eo sitam esse, quod Sacram Scripturam omni elemento supernaturali exuat, et ad conditionem librorum profanorum reducat. Iamvero triplex in Scripturis distingui potest *supernaturale* elementum, 1<sup>o</sup> nempe elementum *supernaturale dogmaticum*, seu veritates rationis captum excedentes, quae dicuntur mysteria. 2<sup>o</sup> Elementum *supernaturale morale*, seu leges, praecepta et consilia quae ad ordinem supernaturalem gratiae et redemptionis pertinent. 3<sup>o</sup> Elementum *supernaturale historicum*, seu facta quae vires naturae superant, idest miracula, ad quae etiam vaticinia revocari possunt. Porro rationalistae exegetae quamvis aliquando omnia haec simul adorti fuerint, plerumque tamen unum vel alterum, seu exclusive, seu saltem principaliter impugnare aggressi sunt novis excogitatis hypothesebus ac theoriis ad unum finem consequendum: hinc vero systematum divisio desumi potest. Itaque 1<sup>o</sup> contra elementum dogmaticum invecum est systema *Accommodationis* a Semlero propositum, quo mysteria omnia a Christo et Apostolis praedicata nihil aliud esse dicuntur quam praeiudicia et erroneae opiniones Iudaeorum, quibus Christus et Apostoli prudentiae et indulgentiae causa sese accommodaverint. 2<sup>o</sup> Adversus elementum morale speciatim dirigitur systema Kantii quod dicitur *moralis interpretationis*. 3<sup>o</sup> Adversus elementum historicum seu miracula invecum est systema *interpretationis Mythicae* scholae Tubingensis. Demum systema *interpretationis psychologicae* Paulusii licet sub forma diversa de primis duobus plus minus participat. De his igitur quatuor formis seorsim breviter agemus, nonnullis in fine adiectis de systemate *interpretationis panharmonicae* a Germaro invecuto.

§. I. De Systemate accommodationis dogmaticae.

Semlerus, quem Ammonius, Tellerus aliique satis multi sequuti sunt, ut de medio tolleret ex Sacra Scriptura omnia mysteria, seu veritates supernaturales, hanc theoriam excogitavit. Iudaei aetate

Christi et Apostolorum pluribus praeiudiciis imbuti erant, quae ipsi tamquam mysteria a Deo revelata habebant, iisque tenaciter adhaerebant. Huiusmodi dicit esse doctrinam de peccato originali, de angelis tum bonis tum malis eorumque in humanis actionibus interventu, imprimis vero de diabolicis obsessionibus, item doctrinam de satisfactoria Messiae morte, de vaticiniis Messiam spectantibus, de corporum resurrectione et universali hominum iudicio, uno verbo quidquid ad ordinem supernaturalem veritatum pertinet. Iamvero Christus et Apostoli licet huiusmodi praeiudiciis minime tenerentur, sciebant tamen nequaquam sperari posse Iudaeorum conversionem ad evangelicam doctrinam, quae pure rationalis erat ac philosophica, si tentassent Iudaeos ab illis erroribus ac praeiudiciis avertere. Quapropter hanc prudentem oeconomiam practice adhibuerunt, ut loquentes cum Hebraeis, vel ad eos scribentes eorum errores ac exaggeratas notiones repeterent, fingentes se illis credere, seu adhibentes dogmaticam accommodationem. Hac ratione existimat Semlerus simul salvari posse veracitatem Christi et Apostolorum, et expungi e Scripturis omnes veritates quae rationis captum superant. Hisce praeiactis, concludunt citati auctores totum officium interpretis N. T. ad hoc revocari, ut discernat in Sacris libris ea quae Christus et Apostoli ex animo et ex propria sententia traderunt, ab iis quae veluti inviti docuerunt ut ad tempus sese accommodarent infirmitati et praeiudiciis auditorum. Prima illa dogmata (naturalia) recipiet interpres tamquam partem religionis evangelicae, alterius vero classis doctrinas (supernaturales) reiciet tamquam erroneas vulgi opiniones. Hac de causa praefatum systema a nonnullis dictum est systema *sensus vulgaris*, ab aliis vero communiter *systema accommodationis*. Quod quidem quantopere a veritate aberraret docebit sequens

## THESIS XVII.

*Impia est atque omnino absurda Semleri, Ammonii aliorumque sententia, qua docent Scripturas N. T. non grammatico-historica, seu exegetica, sed philosophica interpretatione exponendas esse, quasi Christus et Apostoli imperfectis ac erroneis coaeorum opinionibus sese accommodaverint, ac propterea interpretationem N. T. quae ex propria ipsi sententia ab iis quae ex accommodatione Iudaica protulerunt secernere oportere.*

Ad clariorem Theseos expositionem operae pretium erit tria distinguere in citato systemate: 1° *Suppositum*, cui systema innitur, scilicet Christum et Apostolos praeiudiciis Iudaeorum sese accommodasse in sensu exposito, 2° ipsum *systema interpretationis*, scilicet discernendum esse interpreti inter doctrinas ex propria mente ab Hagiographis traditas, et eas quibus sese accommodarunt, 3° *Criterion*, seu medium huius distinctionis faciendae, quod nihil aliud esse statuunt quam humanam rationem philosophia et biblica scientia exultant.

1. *Suppositum* systematis falsum atque impium est.

Quoniam vero adversarii saepe in aequivocatione ludunt, oportebit imprimis accurate definire quid sit illa accommodatio quam pro fundamento sui systematis ponunt, nos autem omnino reiicimus. Inutile est animadvertere hic sermonem non esse de illa accommodatione, quam alibi *aestheticam* vocavimus et licitam diximus; hic enim agitur non de verbis aliorum ad suas res accommodandis, sed de propria uniuscuiusque agendi ratione aliorum placitis, seu conditioni accommodanda, seu de *accommodatione practica*. Haec autem in genere est: certa quaedam agendi vel loquendi ratio ad capium vel agendi rationem alterius accommodata; seu: talis agendi ratio, qua quis aliquid facit vel omittit ut alteri se conformet. Verum pro diversa natura actionis vel omissionis diversae quoque exurgunt accommodationis practicae species. Erit accommodatio *moralis*, si quis actionem non praescriptam ponat, aut actionem non prohibitam omittat ut infirmas aliorum conscientiae morem gerat. Erit accommodatio *paedagogica* si quis in docendo sese auditorum captui accommodet in eo quod respicit

rerum delectum, ordinem et expositionis modum. Demum si quis aliorum infirmitati accommodet ipsas doctrinas quas tradit erit *accommodatio dogmatica*; quae tamen rursus dividenda est in *negativam*, et *positivam*. Accommodatio *negativae dogmaticae* tunc habetur cum magister prudentiae causa permittit aliquam imperfectam vel falsam opinionem in suis discipulis, et omittit pro tempore eam directe impugnare. Accommodatio vero *positivae dogmaticae* tunc haberetur si quis aliorum errores et praeiudicia non solum toleraret sed etiam laudaret, confirmaret et adoptaret, ea spe ductus ut facilius illi ad saniora doctrinae capita amplectenda pertrahantur. Porro priores tres accommodationis species nullam continent pravitatem, quinimo ad prudentiae et sapientiae officia revocantur: nec dilitemur a Christo et ab Apostolis usurpari potuisse et reipsa fuisse aliquando usurpatas: nihil tamen exinde adversarii deducere possunt ad suum systema confirmandum. Exemplum accommodationis moralis suppeditat Paulus Apostolus tum sua agendi ratione, cum ex. gr. Timotheum circumcidit, Nazareatus votum emisit, aliaque similia legalia praestitit, quibus amplius non tenebatur, tum etiam verbis ut ex. gr. 1 Cor. VIII, 13, ubi de legali ciborum distinctione loquens ait: « Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem; » ubi docet a licita actione abstinendum ob infirmitatem et scrupulum conscientiae illorum, qui peccatum esse putabant edere carnes idolis immolatas. Exemplum accommodationis paedagogicae occurrit in illis Christi verbis Io. XVI, 12 et 14: « Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; » item in illis verbis Pauli 4 Cor. III, 4 et 2: « Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. » Demum etiam accommodationis *negativae dogmaticae* plura occurrunt exempla in Evangelio, ubi Christus ex. gr. dissimulat imperfectam et falsam notionem Messiae eiusque regni, qua discipuli imbuti erant, vel cum abstinet a manifesta assertionem suae divinae naturae loquens cum Phariseis hoc recipere non paratis, quare etiam aliquando daemone eius divinitatem praedicanti silentium imposuit.

Verum nihil possunt adversarii ex hac agendi aut loquendi ratione concludere. In hisce enim omnibus nullus error docetur aut confirmatur, quem proinde oporteat ex Scriptura eliminare tamquam accommodationis causa prolatum. Si autem de accommodatione *positive dogmatica* sermo sit, negamus prorsus eam a divinis legatis aut unquam adhibitam fuisse, aut adhiberi potuisse, idque asserere impium omnino atque absurdum dicimus. Et re sane vera:

1° Character Christi et Apostolorum accommodationem praedictam omnino excludit, character inquam sive personalis et privatus, sive officialis, uti aiunt, et publicus. Moralis character Christi et Apostolorum quatenus ex historia evangelica et apostolica, et ex reliquis antiquis monumentis innotescit, nec adversarii diffidentur, is erat ut nulla in eo imbecillitas, nulla simulatio, nullum hominibus placendi studium appareat, contra vero summa animi fortitudo, constans veritatis amor, et magna iudicii ac sermonis libertas in veritatis iuribus asserendis et vindicandis contra quas-cumque hominum contradictiones, insidias, minas aut apertas persecutiones. Cum huiusmodi autem character quomodo conciliatur accommodatio illa adversariorum, per quam scilicet veritas non dissimulatur modo, sed negatur, ac veluti immolatur pravis aliorum opinionibus. At gravius exurgit argumentum ex publico Christi et Apostolorum character. Non solum enim sancti erant et veritatis amici, sed etiam divini legati, ad hoc missi ut religionem divinam hominibus praedicarent, et in toto orbe, depulsis erroribus ac praediciis, stabilirent. Hanc suam missionem tum verbis centies asseruerunt, tum splendidis editis prodigiis ac vaticiniis solemniter confirmarunt. Iamvero nihil magis cum hoc character pugnat quam dogmatica accommodatio de qua loquimur. Si enim vel semel erroribus indulgissent, et positive praedicia religiosa Iudaeorum confirmassent, eo ipso suo muneri defuissent et causam veritatis, quam Dei nomine agebant, prodidissent; quod impium esset affirmare. Huius argumenti vis augetur ex eo quod Christus et Apostoli ap-prime scirent quemcumque errorem ab eis traditum vel probatum hoc ipso necessario evasurum fuisse *universalem, et perpetuum*: universalem quidem, nam absolutum erat Christi praeceptum, quaecum-que ipse praedicaverat omnibus gentibus, omnique creaturae (Math.

XVIII, 19, Mar. XVI, 15) promulganda esse, quod reipsa factum est per Apostolos eorumque discipulos, quorum pariter doctrina ac praedicatio tamquam veritatis thesaurum ac depositum totus mundus amplexus est: perpetuum vero fore quemcumque errorem a divinis legatis in hypothesi promulgatum ex eo apparet quod Christus Dominus districte iniunxerit sub poena aeternae damnationis omnibus hominibus usque ad consummationem saeculi omnia et singula credenda esse quaecumque mandaverat (Mar. XVI, 16). Apostoli vero omnia quae praedicabant praecipiebant in Ecclesiis conservari in perpetuum nec quidquam ex iis immutari etiamsi angelus de coelo aliud evangelizaturus descendisset (Gal. I, 7-9), et iram Dei comminati sunt iis qui in suis scriptis aliquid vel demere vel addere ausi fuissent (Apoc. XXII, 18 et 19).

2° Verum si factum ipsum inspicimus apparebit Christum et Apostolos ab accommodatione positive dogmatica alienissimos fuisse. Nam tantum abest quominus praedicia Iudaeorum palpaverint aut confirmaverint, ut potius pro data occasione ea directe impugnaverint, atque illa imprimis quibus Iudaei tenacius adhaerebant et quorum refutatio eorum animos maxime offendeat. Huiusmodi certe erant opiniones de perpetua legis Mosaicae duratione, de gentilibus a vera Ecclesia exclusione, et de temporalis regni iudaici restauratione per Messiam: haec enim praedicia ex male intellectis Prophetarum vaticiniis et ex falsis Pharisaeorum interpretationibus exorta altissimas radices in animis omnium fere Hebraeorum egerant, ita ut ipsi discipuli, imo ipsi Apostoli iis imbuti appareant: ex quo fiebat ut Christi humilitas, et crux scandalum Iudaeis esset, qui longe aliam ideam Messiae sibi efformaverant, et aegre admodum ferrent circumcisionem, sacrificia, totumque apparatus Mosaicae legis post promulgatum Evangelium aboleri, et gentiles in Ecclesiae communionem recipi, quemadmodum Apostolorum Actus et Epistolae passim testantur. Quid igitur Christus et Apostoli? Num forte indulgentia sua Iudaeos confirmarunt in falsis hisce opinionibus? Christus Dominus nihil clarius aut frequentius inculcabat quam se non venisse ministrari sed ministrare, regnum suum non esse de hoc mundo, sibi que non temporales honores aut potestatem, sed contumelias, passionem, Crucis mortem parari: Mosaicae vero legis apparatus cito abolendum esse, et potestatem

omnem in regno Dei a Synagoga auferendam, et Ecclesiae dandam non quidem ex solis Hebraeis, sed ex omnibus mundi gentibus congregandam. Idem Apostoli docuerunt et facto suo ostenderunt. Praeterea novas ipsi proposuerunt doctrinas humanae menti impervias, et Iudaeorum sentiendi et cogitandi rationi contrarias, ut ex. gr. divinam Christi naturam ac personam, potestatem peccata remittendi hominibus concessam, realem Christi carnis ac sanguinis sumptionem in Eucharistia, et alia similia, quibus cum graviter offenderentur Iudaei non ideo Christus et Apostoli ab iis praedicandis desistebant, sed vehementius urgebant, et potius auditorum animos a se averti permittebant, quam causam veritatis proderet (Io. VI, 33-35, 61-68 Act. IV, 18-21, Gal. I, 10 etc.). Accedit doctrinas illas supernaturales, quas adversarii speciatim eliminatas vellent, Christum et Apostolos non in suis tantum cum Iudaeis disputationibus aut colloquiis proposuisse, sed constanter ubique ac semper inculcasse, etiam cum gentiles seu ethnico-Christianos alloquerentur, etiam ubi nulla erat perversa in auditoribus animi dispositio, et nulla externa occasio quae ad dogmata illa tradenda provocaret, quae omnia ostendunt nullum in iis docendis accommodationi locum fuisse. Denique divinos legatos non ex prudenti tantum oeconomia haec protulisse, ex eo apparet quod tanta constantia in iis docendis perseveraverint ut nullis minis, nullis persecutionibus a sua praedicatione deterri potuerint, donec sanguine ac morte sua eius veritatem obsignaverint. Ergo reipsa apparet Christum et Apostolos ex propria mente atque intima animi persuasione haec docuisse.

II. Systema ipsum accommodationis hermeneutice falsum est.

Imprimis enim cum totum systema supposito illi accommodationis dogmaticae superstructum sit, hoc sublato, etiam illud corruat necesse est. Sed praeterea plura alia in hoc systemate continentur impia prorsus ac absurda. Quis enim ferre poterit splendidas illas et fundamentales veritates quibus revelata religio, totusque supernaturalis hominis status ac destinatio, omnis denique Christianorum fides constat, quis, inquam, ferat inter praedicia et superstitiones Iudaeorum opiniones amandari? Imo gratis quoque affirmant adversarii nonnullas ex illis veritatibus vulgo Hebraeorum, de quo potissimum hic sermo est, notas ac familiares fuisse. Ad

ultimum ipsi fundamentali hermeneutices notioni repugnat accommodationis systema. Sane interpretis officium est quid auctor dicere voluerit intelligere et aliis exponere, minime vero de eorum veritate iudicium ferre, et aliud accipere aliud autem damnare: hoc enim ad criticam non ad hermeneuticam pertinet (1).

III. Criterium autem, seu medium quod adversarii assignant ad illam distinctionem faciendam aequae falsum et incongruum est. Ratio enim humana quantumvis exulta, licet in religionis quoque negotio suas partes habeat, nullatenus tamen potest absolute assignari tamquam criterium et mensura omnis veritatis, quatenus nulla recipienda sit, quae eius ambitum seu captum excedat, quemadmodum iniuria prorsus facta omnia historica secundum solas naturae vires diiudicanda esse dicuntur. Quod quidem fusius refellere superfluum esset heic loci. Si enim Deus infinito suo intellectu plura videt quam angusta et imperfecta hominum mens, cur non poterunt dogmata quaedam captum rationis humanae excedentia a Deo revelata in Scripturis inveniri? Et si Deus est naturae auctor, cur non poterit aliquando legibus physicis a se ipso constitutis derogare, ita ut supernaturalia facta nonnunquam evenerint, quae postea ab Hagiographis N. T. qui oculis suis illa conspexerant scripto fuerint consignata? Qui enim haec possibilia esse negat ob praeconcepas opiniones, non religioni tantum sed et rationis principii contradicit. Unde apparet rationalistas nostros dum volunt Scripturam a praediciis Iudaeorum liberare, ipsos sua praedicia obtrudere et Hermeneuticam sacram iis velle subicere.

IV. Solvuntur praecipua adversariorum argumenta.

Horum pleraque ad factum accommodationis probandum pertinent, quaedam vero ad methodum interpretandi philosophicam confirmandam spectant, quam adversarii facto illo supposito inducere vellent. Dicant itaque:

1° Sapientia ac prudentia Christi ac Apostolorum omnino exigebat ut paullisper indulgerent Iudaeorum praediciis: secus enim

(1) Pulehre ad rem nostram Hieronymus in Ep. ad Pammachium de optimo genere interpretandi: « Commentatoris, inquit, officium est, non quid ipse velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur exponere; aliqui si contraria dixerit, non tam interpres erit, quam adversarius eius, quem nititur explanare. »

nunquam potuissent evangelicam doctrinam eis persuadere. Non igitur ex animi vitio, sed ex ipso veritatis amore, et necessitate compulsi dogmaticam accommodationem fecisse dicendi sunt.

*Resp.* Notum est principium illud sanae rationis non esse faciendi mala ut eveniant bona. Quod autem gravius malum admitti potuisset quam praeopostas opiniones in mentibus Hebraeorum confirmare, atque illas divino veluti sigillo munire ut non amplius intra fines unius regionis, uniusque gentis continerentur, sed ad omnes homines dimanarent, et futuras omnes generationes inficerent, nulla prorsus spe eas aliquando fore eliminandas? Deinde alia honesta media, eaque efficacissima praesto erant quibus veritas Evangelii persuaderetur, et quibus revera factum est ut tam multa hominum millia ex pagana superstitione, depositis omnibus praedictis gravissimisque erroribus, Christianam religionem amplexi fuerint. Demum si factum ipsum inspicimus, si uti volent adversarii Christus et Apostoli necessitate compulsi doctrinas quasdam inculcarunt, quid est quod easdem non minus absolute et constanter urgebant cum iis loquentes qui eas aut ignorabant, aut omnino respuebant? Quid est quod Christus Dominus Sadduceos de resurrectione mortuorum convincere satagebat, quam illi impossibilem esse opinabantur, quid est quod Paulus in areopago Atheniensibus philosophis eandem veritatem praedicavit, et cur ad Romanos scribens qui nunquam Iudaei fuerant doctrinam peccati originalis, praedestinationis, et gratiae tam vehementer asseruit? In his enim ac similibus casibus nulla minus accommodata fieri potuisset, accommodatio.

2° Afferunt Pauli verba 1 Cor. III, 1 et 2 et Hebr. V, 12 ubi dicit se hominibus adhuc *carnalibus* lac potum dedisse, non escam aut solidum cibum, hunc vero reservasse *perfectis*. Iamvero per illam metaphoram *lactis* designari dicunt doctrinam imperfectiorem et carnalibus mentibus, quae praedictis et erroneis opinionibus mancipatae sunt, accommodatam, per *cibum* vero *solidiorem* intelligi doctrinam ab omni errorum admixtione immunem, quam ideo Paulus antea vocaverat absolute *sapientiam*, iniquens 1 Cor. II, 6: « *Sapientiam* autem loquimur *inter perfectos*. »

*Resp.* Adversarios perperam verba Apostoli exponere. Unde enim probare possunt sub metaphora lactis doctrinam imperfectam

et praedictis admixtam intelligendam esse? Evidens enim est ibi de doctrina tantum faciliori, et elementari, cum difficiliori et sublimiori comparata sermonem esse. Id probatur 1° ex ipsa natura metaphorae: lac enim opponitur solido cibo non tamquam malum bono, aut falsum vero, sed tamquam liquidum ac molle duriore, et id quod facilius ei quod difficilius comedi potest. 2° Idem constat ex verborum contextu. Prioris loci contextus hic est: « Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo (ως νηπιους εν Χριστω) lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? » Unde apparet Corinthios hic non dici carnales (σαρκινους) eo quod erroribus et praedictis occupati essent, quibus proinde Apostolus sese accommodare voluerit, sed tantum ob morales defectus, et Christianarum virtutum inopiam. Clarius etiam hoc apparet ex contextu alterius loci (Hebr. V, 11 et 12): « De quo (Christi Sacerdotio) nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quae sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus *lacte* opus sit, non *solido cibo*. Omnis enim qui lactis est particeps expertus est sermonis iustitiae: parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus; eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. » Ubi manifestum est sub metaphora lactis indicari *elementa* evangelicae doctrinae, per solidum autem cibum significari grandiora et profundiora dogmata. 3° Scopus Apostoli in tota Epistola 1 Cor. hic erat ut se defenderet a quibusdam pseudo-apostolis, qui per philosophiam vanamque eloquentiam Corinthios seducentes, excellentiam praedicationis Pauli deprimebant, ex eo quod faciliora duntaxat, eaque simplici ac rusticiore sermone eis praedicasset: quibus refellendis inter coetera et hoc affert Apostolus, se difficiliora et profundiora non potuisse Corinthiis exponere, quia nondum iis percipiendis idonei erant; ea tamen dicit se cum perfectioribus fidelibus communicasse: « Et sermo meus, inquit, (II, 4 et seqq.) et praedictio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis

sed in ostensione Spiritus et virtutis: ut fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, εν τοις τελειοις: Sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. » Ex his omnibus clarissime evincitur nullum hic sermonem fieri de erroribus, et de accommodatione iis facta: scilicet non ad accommodationem positive dogmaticam, ut adversarii vellent, sed ad *paedagogicam* sunt omnia referenda.

3° Instant in factis quibusdam ipsius Apostoli quibus dicunt accommodationem quam volunt manifeste contineri. Ut ex. gr. quod Paulus Timotheum circumciderit in gratiam Iudaeorum qui adhuc necessariam esse circumcisionem falso existimabant (Act. XVI, 3) et quod ob eandem causam votum nazaraeatus emisit et publice impleverit (Act. XXI, 23–27), ac denique, 1 Cor. IX 20 seqq. generatim de se ipso affirmaverit: « Et factus sum Iudaeis tamquam Iudaeus, ut Iudaeos lucrarem: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) et eos qui sub lege erant lucrificerem; iis qui sine lege erant tamquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem: sed in lege essem Christi) ut lucrificerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus ut infirmos lucrificerem. Omnibus omnia factus sum ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps eius efficiar. »

*Resp.* Omnis haec agendi ratio Apostoli manifeste refertur non ad dogmaticam accommodationem, sed ad moralem, vel forte etiam paedagogicam. Quod quidem non solum suadet character Apostoli aliunde notus, qui tantum aberat a nimia indulgentia seu conniventia, ut potius de contrario excessu a Iudaeis insinularetur, sed etiam totius capitis contextus evincit: hic enim loquitur Paulus de licitis quibusdam rebus, ac imprimis de iure percipiendi a fidelibus alimenta, a quo tamen exercendo abstinuit ut omnem amputaret officiculi occasionem: est ergo moralis praecipua accommodatio quam hic a se adhibitam narrat: « non sum liber? inquit vers. 1 seqq. non sum Apostolus? . . . numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? numquid non habemus pote-

statem mulierem sororem circumducendi, sicut et caeteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas?... quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?... si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus! si alii potestatis vestrae participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod officiculum demus Evangelio Christi.... Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrificerem. » Mox vero sequuntur verba in obiectione allata. Accedit quod Apostolus hic dicat se ita fecisse ut omnes *lucrificeret*, idest, salutem eorum promoveret: at si accommodatione positive dogmatica usus fuisset eos potius perdidisset.

4° Obiiciunt quaedam facta et dicta Christi Domini, in quibus exemplum iactatae accommodationis se invenisse putant. Et primo afferunt historiam paralytici Matth. IX, 2 seqq. cui Christus antequam morbum curaret dixit: « Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua » quo dicunt Christum confirmasse praedictum apud Iudaeos tunc receptum omnes corporales morbos ab aliquo vel ipsius aegroti, vel parentum eius peccato originem habere, cuius erroris in ipsis discipulis vestigium occurrit Jo. IX, 2. Deinde afferunt Christi sermonem Matth. XI, 7–15 ubi loquens de Iohanne Baptista ait: « Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. » Quibus verbis dicunt confirmari commune tunc Hebraeorum praedictum Eliam prophetam resurrecturum, seu in mundum venturum ante Messiam (V. Matth. XVII, 10), nempe simul permiscendo ea quae de primo Christi adventu cum iis quae de altero, seu de mundi fine, a prophetis fuerant praedicta.

*Resp.* Nihil minus ex praedictis locis concludi potest quam quod adversarii volunt. Sane ad primum quod attinet connexio inter morbos et peccata intelligi potest vel in sensu absoluto et generali, veluti si nemo morbis affligi possit nisi propter suum vel parentum peccatum, aut in sensu particulari et concreto de hoc vel illo homine. Porro primo sensu accepta opinio illa procul dubio falsa est, et in ipsis Scripturis refellitur, puta in libro Iobi, et in Epistolis S. Pauli. In altero vero sensu saepe vera esse potest, cum ex eadem Scriptura sciamus aliquando corporales morbos in

poenam peccatorum immittere, quod etiam experientia confirmat. Hac distinctione posita, imprimis dicimus citata Christi verba, si quid probarent, nihil aliud evincere nisi in particulari illo casu paralytici in peccati poenam homini illi accidisse: quod nullam absurditatem, nullumque errorem involvit aut confirmat. Opinionem autem generalem et absolutam, quae vere falsa est, tantum abest quominus Christus confirmaverit, ut potius, cum expresse proposita fuisset, illam directe refutaverit, ut apparet ex Io. IX, 2 et 3, ubi legitur: « Et interrogaverunt eum discipuli eius: Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut coecus nasceretur? respondit Iesus: neque hic peccavit neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo. » Nec dici potest ex frequenti, ac simili agendi ratione prius peccata dimitte, et deinde morbos sanandi indirecte saltem praeiudicium illud Christum confirmasse: non enim frequenter, sed admodum raro ita se gessit, scilicet semel tantum praeter exemplum adductum, cum languidum ad probaticam piscinam sanitati restituit Io. V, 14, quamvis ibi dimisso peccatorum non praecedat, sed tantum monitum subsequatur: « Ecce sanus factus es: iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat. » Verum nimis concessimus adversariis admittentes Christum laudatis verbis pro casu illo particulari ostendisse nexum inter morbum et peccatum. Quid enim si remissio peccatorum a Christo praemissa fuerit non ad morbi causam removendam, sed potius tamquam conditio quaedam ad recipiendum beneficium sanitatis? Denique omitendum non est in hac ipsa narratione aliquid occurrere, quod contra adversariorum hypothesim retorqueri possit. Erat enim Scribarum et Pharisaeorum praeiudicium potestatem remittendi peccata non posse hominibus communicari (Luc. VII, 49): iamvero Christus hoc refellit, et Scribas ad silentium redigit in hoc ipso loco, cum enim paralytico dixisset: remittuntur tibi peccata tua: « Et ecce quidam de Scribis (prosequitur textus), dixerunt intra se: hic blasphematur. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge et ambula? Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam. Vi-

dentes autem turbae timerunt, et glorificaverunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus. »

Paulo implicatior est alter locus de adventu Eliae prophetae: nihil tamen ex eo deducere possunt adversarii, pro sua hypothesi, siquidem distinguendum est inter Eliam antiquum prophetam in sua persona spectatum, et Eliam per similitudinem quamdam ita vocatum, qui fuit Iohannes Baptista spiritu et virtute Eliae similis iuxta illud Gabrielis Archangeli dictum ad Zachariam eius patrem Luc. I, 17: « Et ipse (Iohannes) praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae: ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. » Iudaei quidem perperam applicantes Eliae prophetae vaticinium Malachiae (IV, 5 et 13) in hanc opinionem venerant, ut crederent antiquum illum prophetam ante Messiam in mundo apparitum fuisse, quod Malachias de Iohanne Baptista praedixerat. At Christus Dominus id nunquam approbavit, imo manifeste refutavit Matth. XVII, 10-13 duos Elias satis clare distinguens, alterum nempe proprie dictum, quem nondum venisse affirmabat, alterum per similitudinem quem iam venisse concedebat, idest Iohannem Baptistam. Sermonis contextus id certissime evincit, ita enim legitur: « Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: quid ergo Scribae dicunt quod Eliam oporteat primum venire? at ille respondens ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis quia Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt. Sic et filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Iohanne Baptista dixisset eis, » tantum abest quominus in illo Scribarum errore confirmati fuerint. Eodem igitur sensu accipienda sunt obiecta verba Matth. XI, 14, ubi Iohannes dicitur Elias: quinimo ibi etiam implicite refellitur falsa opinio, de qua loquimur, eo ipso quod de Iohanne Baptista explicatur Malachiae vaticinium quod Scribae de propheta Elia interpretabantur: ait enim ib. 9 seqq. « Sed quid existis videre? Prophetam? etiam dico vobis, et plusquam prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.... Omnes enim prophetae et Lex usque ad Iohannem prophetaverunt: et si vultis recipere (ei θελετε δεξασθαι) ipse



est Elias, qui venturus est. » Ipsa formula, *si vultis recipere*, id est, si ita vobis placet accipere, satis ostendit Christum Dominum in auditorum opinionem non concessisse, sed quasi ad hominem loquitum eam implicite correxisse, quasi diceret: vos existimatis Eliam ante Messiam venturum esse; esto quidem, sed sciatis hunc non esse Eliam proprie dictum, sed hunc Iohannem Baptistam, qui merito alter Elias dici potest.

3<sup>o</sup> Urgent responsum Christi duobus filiis Zebedaei, eorumque matri, quae ab eo poposcerat: « Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo; » quae interrogatio involvebat pervulgatum tunc Iudaeorum errorem de futuro regno temporali Messiae: Christus autem hunc errorem non refellit, sed confirmat respondens: « Sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » (Math. XX, 20-23).

*Resp.* hoc esse exemplum accommodationis ad summum negative dogmaticae: scilicet Christus Dominus commiseratus ignorantiam, et imperfectionem mulieris, eiusque filiorum in praesentiarum omittit directam refutationem illius praeiudicii, quod in eorum animis latebat, eam ad opportuniorem occasionem reservans: Interim vero indirecte de eius falsitate monet duos fratres; audita enim propositione statim respondet: « Nescitis quid petatis, » deinde ab idea temporalis regni eorum mentem avertit subdens: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei possumus. Ait illis: calicem quidem meum bibetis, » quo nomine intelligebat passionem et mortem suam, cuius imitatores futuri erant duo illi Apostoli, quasi diceret: vos quaeritis a me temporalem dignitatem, ego autem vobis praedico opprobria ac passionem. Pulchre Chrysostomus ad hunc locum Hom. LXVI in Math. « Et adiecit (Christus): potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, et baptismo quo ego baptizor baptizari? perpende quomodo statim ab hac opinione ipsos removit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus et coronis mecum agitis, ego vero de luctamine atque sudore dissero. Non praemiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit: sed caedis ac periculorum tempus praesens est. » Nulla ergo positiva erroris confirmatio hic confingi potest.

6<sup>o</sup> Demum adversarii putant suum interpretationis systema con-

firmari Apostoli verbis 2 Cor. III, 6: « Litera enim occidit, spiritus autem vivificat, » id est, inquit, literalis et grammatica Scripturae interpretatio saepe falsa et pernicioza est, spiritualis vero seu philosophica in sensu ab eis exposito lucem ac vitam affert. Quo etiam trahere volunt sequentia verba vers. 17: « ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. »

*Resp.* 1<sup>o</sup> Etiam si Apostoli sermo ad Scripturae interpretationem referendus esset, quis adversariis concederet eum condemnassee literalem Scripturae sensum, et commentitium illum a rationalistis inductum laudasse? Quis unquam nomine *spiritus* intelligeret philosophiam et rationis principia in sensu adversariorum, cum Paulus revelationem divinam et mysteria ubique praedicit? Quis denique *libertatem* ab Apostolo laudatam confundat cum intollerabili illa licentia qua adversarii Scripturam tractandam esse docent, ut alia quidem recipiant, alia vero repudient quae in ea leguntur, iuxta suum iudicium, seu potius arbitrium? Verum 2<sup>o</sup> negamus omnino hic sermonem esse de Scripturae interpretatione sive literalis, sive spirituali. Contextus enim evidenter docet nomine literae occidentis hic intelligi Veterem Legem, quatenus efficacia interna homines iustificandi, et gratiam conferendi carebat, nomine vero spiritus designari Legem Evangelicam, quatenus est lex gratiae. Ita enim loquitur v. 6 seqq.: « Qui (Deus) et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti: non litera, sed spiritu: litera enim occidit, spiritus autem vivificat. Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae evacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? » Id est si lex vetus cum tanta gloria ac pompa promulgata est, tantoque honore affectus est ille, per quem promulgata fuit, quanto maior esse debet gloria Novae Legis, eiusque ministrorum! Hoc etiam sensu libertas esse dicitur ubi est Spiritus Domini, scilicet in Lege Nova quae tota spiritualis est et in libertatem filiorum generans, cum contra Lex Vetis magis externa et quodammodo materialis erat lex timoris et servitutis, quemadmodum idem Apostolus explicat Rom. VIII, 15: « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. » Et similiter Gal. IV, 24 commemo-

rata historia duarum uxorum Abrahami: « Quae sunt, inquit, per allegoriam dicta: haec enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina in servitute generans, quae est Agar... illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae est mater nostra... itaque, fratres, non sumus ancillae filii, sed liberae, quae libertate Christus nos liberavit. » De philosophica et libera Scripturae interpretatione ne verbum quidem.

§. II. De systemate Kantiano *Interpretationis moralis*.

Emmanuel Kant notissimus philosophus Regiomontanus (Königsberg) postquam certitudinem obiectivam omnium humanarum cognitionum evertere conatus fuerat per suam *Criticam rationis purae*, ad revelationis etiam et Sacrae Scripturae scientiam se convertit, novaque inducto systemate quidquid supernaturale est e sacris Libris eliminavit. Systema hoc a Kantio exponitur in opere: *Religio intra limites rationis purae*. Königsberg ed. 2<sup>a</sup> 1794 (germanice), et sub nomine systematis *Interpretationis moralis* a criticis agnoscitur. Eius summa ita proponitur a Laur. Bauer uno ex rationalistarum primoribus, et magno Kantii admiratore, licet in hoc cum debita reverentia ab eius opinione recedat. Sacrae Scripturae textus, sive historici, sive dogmatici, sive prophetici aut alterius cuiusvis argumenti, sensu *moralis* exponendus est, seu iuxta principia ethica rationis purae, quamvis eiusdem sensus nulla adsit hermeneutica ratio, imo etiamsi repugnet manifeste contextus aut mens auctoris. Omnia igitur mysteria, miracula, imprimis vero totus legis supernaturalis ac revelatae complexus nihil prorsus faciendi sunt iuxta historicum et grammaticum sensum, sed unice attendendum est ad moralia documenta, quae ex illis quomodocumque erui possunt. Unde principium fundamentale Hermeneutices biblicae hoc esse contendit: sensus moralis, neglecto etiam literali, ubi opus fuerit, semper investigandus et exponendus est, seu aliis verbis: sensus moralis, quamvis vel invito contextu eratur, literali est praefereendus, ubicumque is virtutis studium vel non promoveat, vel impedit; tale autem esse contendit quidquid ordinem naturalem, et rationis principia supergreditur. Huiusmodi systema non modo a Catholicis, sed etiam a Protestantibus passim reicitur. Contra illud esto

THESIS XVIII.

*Systema interpretationis moralis a Kantio excogitatum arbitrarium, absurdum, ipsoque interpretationis nomine indignum est.*

1<sup>o</sup> Kantiana interpretationis methodus duplici innititur falso supposito, scilicet 1) Religionem non nisi moralia principia continere debere, 2) in Sacris Scripturis multa inveniri quae si accipiantur secundum sensum historicum et literalem cum moralibus principis conciliari non possint. Porro utrumque falsum est, alterum vero etiam impium ac absurdum. Primum quidem cum a priori tum a posteriori falsum esse constat. Religionis enim officium cum sit hominem Deo coniungere et ad suum finem adducere, cumque homo rationale simul ac liberum ens sit, oportet ut religio simul cum praeceptis atque officiis implendis veritates etiam ei proponat intelligendas vel credendas, puta circa divinam naturam eiusque attributa, circa humanae animae proprietates, dignitatem ac destinationem, rerumque mundanarum originem ac finem, nam sine horum cognitione nec ipsae morales leges rationabiliter ab homine observari possent: si vero de religione positiva seu revelata agatur, praeter ea quae ex lumine rationis de his obiectis cognosci possunt, quaeque etiam declarari, confirmari, ac plenius sanciri oportet, alias etiam veritates necesse est promulgari quae mentem humanam perficiant, atque muniant, eamque supernaturali ordini idoneam reddant. Si vero factum ipsum spectemus, nulla unquam fuit religio sive vera sive falsa, quae non contineret praeter moralia officia etiam dogmata quaedam tenenda ac credenda, in specie vero Moesaica et Christiana religio quae in Sacra Scriptura continetur partem speculativam et dogmaticam aequae ac practicae complectitur, et utramque a suis cultoribus omnino requirit, dicente Christo Mar. XVI, 16: « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit condemnabitur. » Et Paulus ait Hebr. XI, 6: « Sine fide autem impossibile est placere Deo. » Alterum vero suppositum non minus impium quam absurdum est. Cum enim certissimis argumentis demonstretur utriusque Testamenti Libros divinam revelationem continere, haec autem non possit sanae ratio-

nis principis contradicere, impossibile omnino est, et divinae sapientiae ac sanctitati repugnat aliquam in iis doctrinam insinuari, quae sanae rationis principis contradicat. Scilicet adversarius more solito rationalistarum confundit id quod *supra* rationem est cum eo quod est *contra* rationem, cum tamen haec maxime differant: confundit etiam relativam et negativam imperfectionem Legis antiquae cum positivo et absoluto vicio, quod nullatenus admitti potest. Lex enim Mosaica a Deo profecta est, ideoque nihil docere aut praecipere potuit quod absolute repugnaret bonis moribus aut sanae rationi: attamen cum ea non esset nisi figura perfectioris legis, eiusque officium esset dumtaxat populum carnalem ac durae cervicis praeparare ad puriorem et perfectiorem legem suo tempore suscipiendam, evidens est eam cum Lege Evangelica, quam adumbrabat, comparatam minus perfectam videri debere ac esse, et in multis doctrinae ac morum capitibus a Christo Domino completam, declaratam, et ad maiorem perfectionem adductam fuisse. Doctrina vero haec a Christo et Apostolis promulgata nec absolute nec relative imperfecta dici potest, sed undequaque purissima, ac sublimissima, quaeque hominem ad summam moralis perfectionis gradum evehere potest, quemadmodum ipsi increduli rei evidenter convicti saepe fateri non dubitarunt.

2° Verum ne nomine quidem interpretationis digna est Kantiana methodus. Interpretari enim, ut saepe dictum est, significat illud ipsum intelligere atque exponere quod auctor dicere voluit, non autem, eo rejecto, aliud quidpiam ei substituere. Hoc autem est quod adversarius faciendum esse docet. Idque etiam citatus Bauer in Kantiano systemate reprehendit, eoque nomine illud reiiciendum putat, quod « Haec interpretandi ratio non diversa est ab ea, quam Graecorum et Romanorum philosophi in explicandis mythis suis, antiquioribusque de diis narrationibus, aliorumque populorum doctores in libris, quos sacros existimant, exponendis sectati sunt. »

3° Hinc sequitur aliud argumentum ab absurdis. Si enim sola ratio ac philosophia sensum Scripturae affingendum docere debeat, unusquisque videt, ut recte monet Ranolder « sic quaecumque imaginationis somnia ac portenta bibliis affingi posse; ut nihil dicam de opinionibus philosophorum perpetuo fluctuantibus, et sin-

gulis fere decennis variantibus, cum ex adverso doctrina divinitus revelata, tamquam verissima, eadem sit aeternum et immutabile. »

Quae adversarii obiciunt ad suum systema fulciendum fere praecipua sunt in argumentorum expositione. Quod autem dicunt Patrum Ecclesiae exemplo interpretationem suam moralem confirmari, absolum omnino est. Moralis enim interpretandi ratio a Patribus usurpata toto coelo differt ab ea quam Kantius invexit. Illi enim morales aliquando sensus ex historiis vel doctrinis biblicis eruere satagunt, supposito tamen vel saltem non negato literali et historico locorum illorum sensu; et si quando *literalem* sensum excludunt, recolendum est, eos hoc nomine intellexisse solum propriam verborum significationem, quae revera aliquando non est ab auctore intenta: Kantius vero generatim praecipit literalem sensum reiicere, quem fatetur a sacris Auctoribus intentum fuisse, et alium inducere quem illi non intenderunt.

### §. III. De Systemate *interpretationis mythicae*.

Pauca de historia huius systematis praemitenda sunt. Saeculo elapso usus invaluerat apud literatos et criticos praesertim Alemannos philosophice explicandi mythos, seu fabulas in antiquis diversarum gentium libris narratas et in carminibus veterum poetarum obvias, ita ut Heyne absolute affirmaverit « a mythis omnem priscorum hominum cum historiam, tum philosophiam procedere. » (1) Contendebant scilicet docti isti viri in fabulis ac mythologiis Orientalium, Graecorum et Romanorum distinguendam esse historicam a philosophica veritate, illam quidem admittendam non esse nisi ex parte tantum, quatenus figmenta mythica plerumque historico fundamento innixa ac veluti superstructa dicenda sint, philosophicam vero veritatem dicebant saepe latere sub mythorum cortice, quam proinde oporteret iuxta sanam criticam, philosophiae principia, et singularum gentium indolem, culturam atque historica

(1) Hic Göttingensis Professor praecipuam partem habuit in hoc systemate per Germaniam propagando. V. Chr. G. Heyne *Opuscula Academica*. Eum sequuti sunt Herrmann, Creuzer, Müller aliique. Ex mythologiis paulatim haec methodus translata fuit ad libros historicos Graecorum, et Romanorum, opera praesertim Wolfii, et Niebuhr, unde facilis erat transitus ad Sacrae Scripturae libros pro iis scilicet qui iampridem Divinam Scripturae inspirationem in dubium revocaverant, aut omnino negaverant.